Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



quasi pulverem in triturā aere. Reliqua autem sermonum ioachaz et omnia quæ fecit fortitudo eius. Nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum israel. Dormiuit quoque ioachaz cum patribus suis et sepelierunt eum in samaria. Regnauit quoque ioas filius eius pro eo. Anno tricesimo septimo ioas regis iuda regnauit ioahas filius ioachaz super israel in samaria xvi annis. Et fecit quod malum est in conspectu domini non declinauit ab omnibus peccatis ieroboam filii nabat qui peccare fecit israel in ipsis ambulauit. Reliqua autem sermonum ioas et omnia quæ fecit sed et fortitudo eius quomodo pugnauit contra amasiam regem iuda nonne hæc scripta sunt in libro sermonum regum israel. Et dormiuit ioas cum patribus suis ieroboam autem sedit super solium eius porro ioas sepultus est in samaria cum regibus israel heliseus autem egrotabat infirmitate qua et mortuus est descendit quoque ad eum ioas rex israel et flebat coram eo dicebat quoque pater mi pater mi currus israel et auriga eius. Et ait illi heliseus affer arcum et sagittas cumque attulisset ad eum arcum et sagittas dixit ad regem israel pone manum tuam super arcum et cum posuisset ille manum suam super posuit heliseus manus suas manibus regis et ait aperi fenestram orientalem cumque aperuisset dixit heliseus iace sagittam et iecit ait eliseus sagitta salutis domini et sagitta salutis contra syriam pugnabis quoque syriam in afech donec consumes eam. Et ait tolle sagittas. Cum autem tulisset rursum dixit ei pugna in terram et cum pulsasset tribus ictibus et stetisset iratus contra eum vir dei ait si percussisses quinques vel sexies sine septies percussisses syriam usque ad consumationem. nunc autem tribus ictibus percuties eam. Porro ortus est ergo eliseo et sepelierunt eum latrunculi quoque de moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos et proiecerunt cadauer in sepulchro heliseo. quod dum tetigisset ossa heliseo reuixit homo et stetit super pedes suos. Igitur azahel rex syriæ afflixit israel cunctis diebus ioachaz et misertus est dominus eorum et reuersus est ad eos propter pactum suum quod habebat cum abraham et isaac et iacob et noluit disperdere eos nec proicere penitus usque in præsens tempus porro ortus est azahel rex syriæ et regnauit benadab filius eius pro eo porro ioas filius ioachaz tulit urbes de manu benadab filii azahel quas tulerat ioachaz pater suus iure pugnando. Tribus ictibus percussit eum ioas et reddidit ciuitates israel.

XIIII

In anno secundo ioas filii ioachaz regis israel regnauit amasias filius ioas rex iuda. Viginti quinque annorum erat cum regnare cepisset et xx. annis regnauit in hierusalem. Nomen matris eius ioadan de hierusalem. Et fecit rectum coram domino. Verumtamen non ut dauid pater eius fecit iuxta omnia quæ fecerat ioas pater eius. Hoc tamen quod excelsa non abstulit adhuc enim populus immolabat et adolebat incensum in excelsis. Factumque ut obtinuisset regnum percussit seruos suos qui interfecerant regem patrem eius filios autem eorum qui occiderant regem non occidit iuxta quod scriptum est in libro legis moysi sicut præcepit dominus dicens non morietur pater pro filiis nec filii morientur pro patribus sed